

EXAMEN CENSURÆ

aliquam det, & quam quæsitis atq; elaboratis distinctionibus eam conetur palliare ac tegere.

AD CENSURAM CAPITIS XIX.

Vbi agitur de promissis divinis ad futuram vitam pertinentibus, sive de Mortuorum resurrectione & vita æterna.

IN huius capituli explicatione, ait Censor, Remonstrantes diligenter sibi cavent, ne Socinianorum erroribus nimium præjudicent. Quorsum enim aliàs, in explicatione articuli de Resurrectione carnis & vitæ æternæ, studiosè omittunt, quæ in Catechesi nostra ad hos articulos expressè traduntur, de beatâ animarum in cælis post hanc vitam immortalitate. Censuræ huius capituli omnes admodum sunt febriculosæ. Nauseat qui eas vel introspicit. Socinianismi vestigia in eo quæruntur, & ecce primum quod subtilis Censor olefacit: Omittitur, inquit, in explicatione articuli de Resurrectione carnis, id quod Catechesis expressè tradit de beatâ animarum in cælis post hanc vitam immortalitate: Quæ causa? Ne Socinianorum erroribus præjudicet. Atqui Censor nec de beata animarum in cælis post hanc vitam immortalitate agit Catechesis vestra, nedum ut de ea expressè aliquid tradat, uti tu loqueris. Verba Catecheseos generalia sunt: *Animam meam è vestigio, ubi ex corpore exierit, ad Christum caput suum assumi.* Iis subscribunt, imò eadem dicunt Sociniani, cum dicunt, animas fidelium ad Deum redire, cum Christo esse, &c. Sed esto; expressè id tradiderit Catechesis vestra, ejus instar ut in declaratione sua sequerentur Remonstrantes necesse non erat. Istud vobis relinquunt, qui ex ea sola pene sapitis, & pueros jam triennes ex eadem, tanquam perfectos Theologos, sapere docetis. II. Et causa erat ut istud non sequerentur. Ineptè enim sub articulo de resurrectione carnis, de quo Symbolum agit, comprehenditur status animæ ante resurrectionem carnis. III. De statu animæ post mortem variâsse videbant olim hodieq; variare judicia maximorum Theologorum. Passiva receptaq; veterum Patrum omnium, ad nostrum usq; sæculum, sententia fuit, Animas fidelium

V. Test.

Putide Censoris cavillationes deteguntur, ut Declarationem Socinianam faciat.

Sententia veterum de statu animarum post mortem.